



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita abbatis Nonni presbyteri. Capvt. CIIII.

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

*Relatio Sophronij Sophista de eo, quod sibi in via  
contigerat.*

## C A P V T CII.

**C**Um interrogatus esset Abbas Sophronius Sophista frater meus, lassistebamus prope illum ego, & Abbas Ioannes Scholasticus, & Abbas Quiricus, & alij quidam ex patribus, dixitq; nobis: Pergebam modò in via, & ante me adolescentulæ choream agebant, tripudiebantque dicentes: Benè veniat Sophronius, coronatus est Sophronius.

*Vita, & virtutes Abbatis Stratigij.*

## C A P V T CIII.

**D**icebant de Abbate Stratigio patre insignis monasterij sancti patris nostri Theodosij, monasterij ipsius patres, quòd tres istas virtutes possederit supra ætatis nostræ monachos, Ieiunium, vigilias, & iuge opus.

*Ieiunium, vigilie, & iuge opus, tres sancti patris virtutes.*

*Vita Abbatis Nonni presbyteri.*

## C A P V T CIIII.

**N**arrauit nobis in cœnobio sancti patris nostri Theodosij, Abbas Theodosius, qui fuit Episcopus Capituliadis, de Abbate Nonno presbytero, quòd nocte quadam, antequam pulsaret nocturnum signum, dum iaceret ipse in lectulo suo, audiuit quendam leni voce dicentem: Kyrie eleison. Cumque quinquaginta vicibus hoc ille iterasset, voluit ipse scire, quis esset qui hoc dicebat. Et aspiciens, inquit, in Ecclesia

Ecclesiam per cellulæ meæ fenestram, vidi senem procumbentem genibus suis, & stellam lucidissimam super caput eius ostendentem mihi, quis esset senex.

**A**lius autem quidam de senibus ipsius cœnobij narravit nobis de eodem Abbate Nonno, dicens: Nocte quadam priusquam pulsaret signum, egressus de cellula mea, ibam ad Ecclesiam. Et aspicio senem ante Ecclesiam stantem, & <sup>1</sup> extensis in cœlum manibus orantem. Lucebant autem manus eius quasi lampades ignis. Quare metu perterritus recessi.

<sup>1</sup> Nota senem stantem, & extensis ad cœlum manibus orantem.

*Vita sancti senis Christophori, genere Romani.*

C A P V T. C V.

**C**um in Alexandria essemus, accessimus ad Abbatem Theodorum, qui erat in sancta Sophia prope Pharum. Et narravit nobis senex dicens: Ego in cœnobio sancti partis nostri Theodosij, quod est in cremo sanctæ Christi Dei nostri Ciuitatis, seculo renunciaui, inuenique illic senem magnum valde, nomine Christophorum, Romanum genere. Die igitur quadam profectus ante illum dixi: Fac charitatē, pater, & dic mihi quid in iuuetute tua operaberis. Cūq; multū a me rogatus fuisset senex, agnito, quod propter utilitatem animæ illum rogasset, enarrauit mihi dicens: Quando seculo renunciaui, filii, magnum habui feruorem, summamq; desiderij alacritatem ad monasticam vitam. Ac diebus quidem exercebar in regulari psalmodia <sup>1</sup> noctibus verò pergebam in speculam, in qua & sanctus Theodosius, & sancti patres reliqui orare cōsue-